

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

14

PROLVSIO
IN
ANNIVERSARIAM GYMNASII GOTHANI
LIVSTRATIONEM

KAL. AVGVSTI A. MDCCCCLVII.
AVSPICANDAM

EXHIBENS PARAPHRASIN CAP. I. IESAIAE CARMINE
CHOLIAMBICO EXPRESSAM

A RECT. IO. HENR. STVSS.



✻ ✻ ✻

Ilata tantisper, quam enarrare coepi, et, Deo vitam viresque clementer largiente, continuare constitui, historia bibliothecae gymnasii Gothani, iam specimen exercitationis iuuenilis in sublimis prophetae Iesaiæ vaticiniis carmine Latino exprimendis, lectoribus talia haud fastidientibus exhibere visum est. Aptum nempe cum temporibus nostris, tristitia multa afflictæ Germaniæ porro minantibus, et feriam poenitentiam vitæque emendationem efflagitantibus; tum etiam ad excitanda iuuenum, bonis litteris operam nauantium, in hoc genere studia, et fugientem ferme e scholis poësin Latinam, non solum cohortationibus, verum etiam exemplis, quantum fieri potest, retinendam, adcommodatum hocce argumentum, ita spero, planeque confido, censebunt cordati omnes: quique reminisci haud grauabuntur commentationum mearum de epopœia christiana, atque Iobæa, deque exegeſi atque imitatione poëſeos biblicæ, ii hanc quasi adpendicem illis adiunctam, nisi me fallit animus, haud repudiabunt. Agnoscent etiam, quibus sacrum diuini vatis, quem Lutherus satis commode nostro nobis ore Teutonice loquentem stitit, idioma, et caeleste eloquium intelligere datum est, apto ante alia et graui genere carminis diuina illa verborum pondera exprimendi, et quodammodo explanandi conatum. Ita vero, missa inscriptione libri, vaticinia temporibus Vhiæ, Iothami, Achasi, Hiskiae, regum Iudæe, edita complexi, prophetam, peccata atrocitæ et poenas horrendas populo ob oculos ponentem, scæzante Latino sisto.

2. Audite caeli, audite, quaeso, et ausculta
Tu terra, mater alma gentis humanæ,
Prauæ, rebellis, impiæ in Creatorem!
Ipse en Creator, ipse vos Deus testor.
Ego benignus filios adoptaui,

X

Et

p. 48.

- Et educaui, et eleuaui, et ornatos
 Queiscumque rebus optimis diu foui,
 Mihi obsequentes semper et probos sperans.
 At hi maligni, perfidi, reluctantes,
 Mea iussa rident, me patrem et Deum temnunt.
3. Inuenta bruta, bos arator, et tardus
 Heris afellus cognitis probe parent,
 Repetuntque notum non coacta praesepe:
 Sed Israël's, pro pudor! minus bruto
 Dudum nepotes sentiunt: meum vulgus,
 Delecta nobis natio atque dilecta
 Hebet, stupetque tota pectore obtuso,
 Benefacta nostra, nosque cogitans numquam.
4. At quam tremendas, vae tibi! dabis poenas,
 O gens maligna, gens onusta peccatis,
 Vitiis nefandis, atque fordibus foetens
 Libidinosis! o patrum scelestorum
 Semen scelestum, turpe, pessimis peius!
 O filii olim, nunc probrum meum, et labes,
 Qui sacra dudum nostra, qui bonam mentem,
 Nostri timorem, conscientiam totam,
 Terramque vestram perdidistis, urbemque!
 DOMINO relicto transfugae Deum sanctum,
 Deum Israël's prouocare contemtim
 Nihil verentur, terga sed mihi obuertunt.
5. Iratus ergo - - Sed quid amplius plagis
 Spero cruentis perditos coercere?
 Crescente poena crescit indies dirum
 Scelus, furorque perfidus magis crescit.
 Caput omne putens liuido fluit tabo,
 Cor omne languet, et fatiscit aegrotum.
6. Talis ab imis verticem vsque supremum
 Nil Israël's corpori integrum restat.
 Suum cuius vulnus horret aequatum
 Hi atque membro, quamque vulnus haud rupit
 Partem, tumentis fardet atra vibice,
 Stillansque cessit vlcus in locum plagae;
 Saniemque tetram corpori exprimit nemo,

Oleoue

- Oleuae vulnus mollit aut ligat nemo.
7. Lacerata tellus vestra, foeda, vastata
Squalet vepretis, tecta vestra subiectos
Dilapsa in ignes; splendidissimae quondam
Ferro atque flamma dirutae iacent vrbes.
Ante ora vestra barbari vorant hostes
Vestros labores, annuas agri fruges,
Vinique messem, vosque acerba plorare
Iubent, inani ventre et ore tabentes.
Sic terra vestra perdita atque direpta,
Vt igne saeuo et ense perdere hostilem
Immanitate barbari solent terram.
8. Et multitudo tanta turgidae gentis
Fugata, caesa, dissipata, consumpta,
Ad has redacta est incitas, vt exilis
Casae sit instar, larga monte vineta
Quae late aprico solitaria obseruat:
Vt sit Sionis robur et decus tantum,
Quantum tugurii friuoli, perangusti,
Custodia horti quo vigil latet nocte:
Vt forte eadem parua cladibus tantis
Manus superstes gaudeat, fruaturque,
Qua pressa turmis hosticis, et adfultu
Discerpta crebro ciuitas inops gaudet.
9. Et ni IEHOVA, summus ille Rex regum,
Ille vniuersi praepotens gubernator,
Cari Davidis, atque patris Abrami,
Pactique dudum foederis memor, nobis
Hoc, quidquid est, hoc tantulum reliquisset,
Vt vrbs Sodomae et fulgurita Gomorra,
Gens vniuersa prorsus interissemus.
10. Audite vatem, principes Sodomaei!
Audite vatem, audite, plebs Gomorraea!
Verbum IEHOVAE, sanctio Dei nostri
Aures penetret, pectorumque praeclusa
Perrumpat adyta, frangat atque percellat
Terrore dio, et molliat feram mentem!
11. Quid victimarum copia illa vesana,

- Inquit IEHOVA, quid mihi boum strages,
Ouiumque caedes tanta? nauseo dudum
Haedis crematis, pinguiumque fumanti
Adipe hostiarum: non cruor iuuentorum,
Non fufus agni, hirciue mihi sapit sanguis.
12. Adestis alacres, et subire conspectum
Meum, innocentes vt solent, anhelatis.
Sed tam scelestos tanque sordidos nolo
Contaminare calcibus mihi sacrum
Aedis verendae limen, et, procul, clamo,
13. Procul, profani, abeste! munus auerfor,
Quodcumque fertis: ergo munus incassum
Offerre nemo pergat: iste suffitus
Abominandus cesset, et nouae festa
Lunae, atque vestri sabbati, velim, cessent!
Has conciones, has panegyres vestras,
Scelerumque tantam et criminum simul labem
Taedet pigetque me diutius ferre.
14. Vestras kalendas, feriasque sollemnes,
Mihi tam molestas, tam mihi graues odi,
Fastidioque sic fati fatigatus
Turbabo, rumpam, iamque prorsus exstinguam.
15. Etsi supinas panditis diu palmas,
Auerto vultum, nec serenus adspectu
Vos dignor: etsi blateratis immensas
Preces, et alta voce per diem totum
Meum vocatis nomen, audio nullus.
Namque innocentum caedibus manus vestrae
Sunt inquinatae, sunt cruore repletae.
16. Lauate dextras, quin lauate vos totos,
Purgate sordes, amouete foetorem
Lutumque tetrum criminum, nefas tandem
17. Dediscite omne, discite omne ius fasque:
Decora, honesta, casta, sancta sectari
Res grata semper et lubido fit vobis.
Pressos inique, calcibusque protritotos,
Quantum potestis, vindices leuato.
Quidquid misellis, orphanou debetur,

Viduac-

- Viduae egeae, publica fori, et priua
 His aequitate quisque praebat vestrum,
 Horumque causas atque iura defendat.
18. Et tunc adeste, sic ait Deus noster,
 Tunc luculenter disputemus, et quacuis
 Momenta rerum ponderemus argute.
 Quamuis cruentae caedibus manus vestrae
 Rubore vincant ipsa muricis rubro
 Bis tincta succo, me tamen notas plane
 Delente foedas, poenitentia si quis
 Ductus patrata luget, atque deplorat,
 Candore puro deinde vel niuem vincent;
 Ostri colorem quamlibet repraesentent,
 Lanae tamen nitentis instar albescent.
19. Si vos lubenter sanctionibus nostris
 Obtemperantes videro, optimae fruges,
 Et quaeque vestrae delicata telluris,
 Et iugi opima cuncta pace vos pascent.
20. At si rebelles, si meae sacrae legi
 Recalcitrantes videro, vorax flamma,
 Ferrumque dirum vos, famesque depascent.
 Sic est futurum, sic IEHOVA praedicit.
21. Qui casta, sancta, fida ciuitas quondam
 Nunc moecha facta, infida, turpis, incesta?
 Ius fasque in illa, et turba laeta virtutum
 Quondam perennem fixerant sibi sedem:
 Nunc parricidae, perditique latrones
 Furtis, rapinis, caedibus tenent plenam!
22. Quondam coruscum et candidum tuum argentum
 Vanescit, inque scorias abit nigras.
 Merum bibebas nobilissimum quondam,
 Nunc ecce sorbes vappam, eamque dilutam.
23. Reges tui omnes, principes, magistratus
 Mihi sunt rebelles, perfidi, repugnantes,
 Sociique furum, caedumque consortes.
 Ius quisque flecit, quisque diligit munus,
 Et captat hostimenta, seque corrumpi
 Gaudet: misellos patribus suis orbos

- Numquam tumentur, iusta iudicant numquam;
Viduae querelas abnuunt vel audire,
Immo repellunt, atque duriter tractant
Quosuis egenos, dona nulla portantes.
24. Quare IEHOVA, summus arbiter rerum,
Qui praepotentem, quique se Deum factis
In Israele monstrat, ipse decreuit,
Et ipse dixit: vae tibi! graues tandem
Poenas ab istis hostibus meis sumam,
Meique sancti nominis probe vlciscar
Contemtionem, perfruar voluptate
Vindictae, et hostium dolore gaudebo.
25. Gens execranda, ea ipse nunc tibi duram
Manum admouebo, scoriasque nigrantes
Palam malignis aestuantium culpīs
Vltrice prorsus excoquam tibi flamma.
Adulteratum istud, nitore fallente
Hypocritarum, interlito tuum argentum
Purgabo flanno, et subdola auferam cuncta.
26. Deinde reddam iudices tibi iustos,
Scelerumque puros, integros senatores,
Quales fuere saeculis tibi priscis.
Tunc, veritate teste, ciuitas iusta,
Vrbs fida, casta, sancta, dia diceris.
27. Punita iuste liberabitur tandem
Sion, nec hostes illam in omne captiuam
Tempus tenebunt, sed sui Redemptoris
Dono piatis liberabitur culpīs.
28. At contumaces, impii, scelestique,
Nec poenitentes, conterentur horrendis
Poenis, eadem forte, nemine excepto;
Denique cuncti perfide relinquentes
Misere peribunt, stirpitisque tollentur.
29. O qui sacratis immoramini lucis,
Aliquando cultus vos pudebit insani,
Et impotentis poenitebit idoli.
Lectos quod hortos numini manu facto
Sedem dicastis, illud erubescetis

30. Tandem, coacti stare turpiter, quereus
 Velut comante tota fronde nudata,
 Et sicut vnda iam diu carens hortus,
 Flos omnis atque planta cuius arefcit.
31. Immane vestrum et execrabile idolum,
 Tutela vestra imaginaria, amentes,
 Cuius putatis esse robur inuictum,
 Vt stupa, flatu dissipanda, flammatur
 Scintillula vna, sic cremabitur totum;
 Operique iunctus fabricator ardebit
 Flammas iisdem, et horridam luet poenam
 Sui furoris, ipse membra depastus.
 Et hasce flammæ nulla lympha, mortalis
 Nec vlla vis vniquam, manusue reslinguet,
 Iratus ipse, quas IEHOVA succendit.

Iam vti proxime lapsò anno, cum et verficulis in oppugnatam et expugnatam a Gallis Minoricam lussissem, sub auspicia lustrationis Gymnasii anniuersariae de recta iuuentutis institutione publice disserui; et vti olim, cum, optimo instituto, bina apud nos in vsu essent annua examina, vernale et autumnale, binas quotannis orationes habuere Rectores, quales duæ exstant Helderi, et Wilkii in Suada Gothana complures; ita neque nunc, quod plerique faciunt iuuenes, defugiam munus in panegyri publica dicendi: quo quidni per aetatem, et toleratos iam per quadraginta quatuor ferme annorum spatium in schola labores supersedere liceat? Dicam autem iterum de argumento, ad forum scholasticum quam maxime pertinente, nempe de *Harmonia scholarum*, atque ita dicam, vt, si minus in pompam et speciem *μετὰ πολλῆς Φαντασίας* exornata, et iuueniliter quasi luxuriante declamatione, stricta certe et perspicua breuitate placere queam. Huic itaque panegyri, lustrationem Gymnasii auspiciaturæ, vt clementer atque comiter interesse, et in languorem nimis prona iuuenum studia vel hoc pacto excitare dignentur

PERILLVSTRES MAECENATES ET PVBLICAE SALVTIS CVRATORES, EPHORI GYMNASII VENERANDI, QUIQVE GOTHAM LITTERATAM CONSTITVVNT, VARIA MVNERVM DIGNITATE SPECTABILES, VIRI AMPLISSIMI, MVSARVMQVE CVLTORES HVMANISSIMI, obseruantissime studiosissimeque oro
 atque contendo.

P.P. Prid. Kal. Aug. a. MDCCCCLVII.

Vt

Vt paraphraeos meae binis saltem locis rationem reddam, versus 25. *Vnd muss meine Hand wieder dich kehren, vnd deinen Schaum aufs lauterste fegen, vnd alle dein Zinn wegthun.* in Bibliis Vinarientibus, siue Ernestinis, ita exponitur: *Den Schaum fegen, vnd das Zinn wegthun, heisset die bösen Buben und Heuchler, die von aussen glänzen, aber kein fein noch rein Silber für Gott sind, aus dem Wege räumen, vnd ihnen durch die Strafe wehren, daß sie nicht weiter in Sünden fortfahren, welches sie sonst nicht lassen würden.* Quod et v. 31. vox. **יָפַעַרְ** non significet et opus eius, sed effectorem siue fabricatorem eius, scil. idoli, siue numinis tutelaris, R. Salomo ben Iizchak, qui vulgo Iarchi, et a Rabbinis **יָרְאִי** dicitur, ex vsu linguae Hebraeae ostendit in commentario, a b. Io. Frid. Breithaupt Latine verso, quem adire, cui libet, licet. Hac occasione indicium facio, esse in bibliotheca Gymnasii nostri aliquot exempla hujus commentarii, tribus tomis, forma chartae quadruplicata, aequissimo pretio venalia, vel et aliis bonis libris permutanda. Optime igitur CASTELLIO hunc locum vertit: *Et numen ejus fiet stupa, et ejus fabricator scintilla, atque ita ambo simul, nullo exstinguente, desintegrabunt.* Congruunt etiam verso Belgicae, quae ita habet: *Ende de Sterke sal wesen tot grof Flas, ende zinn Werkmeester tot eene Vonke, ende sy sullen beyde i' samen branden, ende daer en sal geen Uytbluscher wesen.*

Ceterum cum in farragine mea poetatum recentiorum, quibus, quamquam contemptae vulgo merci, congerendis dudum studui, reperiuntur etiam, vti habet tit. *Esaiæ prophetæ conciones, cum singulorum capitum argumentis Latino elegiaco carmine conuersae a MART. MOLLERO consule Buxtebudano. Hamb. 1581. 8.* non possum non laboris huius non contemnendi mentionem facere, vt faeculi illius poetici genius, et quanto in

pretio haec studia tum fuerint, inde etiam noscatur, et boni auctoris, cujus similes hodie Buxtehuda vix dabit, memoria ab oblivione quodammo vindicetur. Dedicauit ille librum hunc (ipsa verba refero) *Reuerendissimo in Christo Principi et Domino, Domino EBERHARDO, Episcopo Verdensi, Administratori Lubecensi, et Abbati ad S. Michaelem in Lüneburga.* Ex ipsa hac dedicatione adscribo sequentia, quibus bonus vir modeste fatetur, se non nisi ex versionibus sapuisse, et genus hoc carminis concionibus Isaiæ digne exprimentis minus aptum esse. En eius verba. *Statui illarum concionum capita non tantum perlegere, sed adbibitam Germanicae Lutheri versionem, et, praeter vulgaram translationem, Victorini Strigelii Latina versione cum scholis, et Pomerani explicationibus, simplici stilo in Latinas elegias transferre, et laborem hunc pro ingenii mei donorumque mihi concessorum modulo ad finem perduci. Quamquam autem conciones illae, vt sunt grauissimae, vario dicendi ornatu et miro artificio, exclamationum, assecluum, et aliis oratoris stofculis exornatae, heroicam carminis sublimitatem requirere videantur: ego tamen intra metas mei doni subsistens, experiri volui, possentne etiam grandia et sublimia demisso ac humili carminis genere comprehendere. Adde speciminis loco ipsum capitulum 1. initium.*

Audiat has caelum voces, hoc audiat omnis Terra, suo verbum quod Deus ore facit. Est mihi progenies primo nutrita sub aeuo, Est et adaucta, vagi sicut arena maris. Omnia cui mentis, cui corporis omnia dona Vbertim patrio ductus amore dedi. Sed mea progenies me spernens mente superba Despexit Domini munera mille sui. Bos agnoscit heri praesepe, insulsus asellus Agnascit stabuli, quo stetit ante, locum. Nescit at Israël me, nec cognoscere verba Vult mea, quae nullum pondus habere, refert Hoc stilo et filo integrum opus est pertextum.

GOETHAE, LITTERIS REYHERIANIS.

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PROLVSIO
IN
ANNIVERSARIAM GYMNASII GOTHANI
LVSTRATIONEM

KAL. AVGVSTI A. CIOCCCLVII.
AVSPICANDAM

EXHIBENS PARAPHRASIN CAP. I. IESAIAE CARMINE
CHOLIAMBICO EXPRESSAM

A RECT. IO. HENR. STVSS.



ilata tantisper, quam enarrare coepi, et, Deo vitam viresque clementer largiente, continuare constitui, historia bibliothecae gymnasii Gothani, iam specimen exercitationis iuuenilis in sublimis prophetae Iesaiæ vaticiniis carmine Latino exprimendis, lectoribus talia haud fastidientibus exhibere visum est. Aptum nempe cum temporibus nostris, tristitia multa afflictæ Germaniæ porro minantibus, et seriam poenitentiam vitæque emendationem efflagitantibus; tum etiam ad excitanda iuuenum, bonis litteris operam nauantium, in hoc genere studia, et fugientem ferme e scholis poësin Latinam, non solum cohortationibus, verum etiam exemplis, quantum fieri potest, retinendam, adcommodatum hocce argumentum, ita spero, planeque confido, censebunt cordati omnes: quique reminisci haud grauabuntur commentationum poëseos biblicæ, ii hanc quasi adpendicem illis adiunctam, nisi me fallit animus, haud repudiabunt. Agnoscent etiam, quibus sacrum diuini vatis, quem Lutherus satis commode nostro nobis ore Teutonice loquentem sinit, idioma, et caeleste eloquium intelligere datum est, apto ante alia et grati genere carminis diuina illa verborum pondera exprimendi, et quodammodo explanandi conatum. Ita vero, missa inscriptione libri, vaticinia temporibus Vhiæ, Iothami, Achasi, Hiskiae, regum Iudæ, edita complexi, prophetam, peccata atrocis et poenas horrendas populo ob oculos ponentem, scazonte Latino sisto.

2. Audite caeli, audite, quaeso, et ausculta
Tu terra, mater alma gentis humanæ,
Pruæ, rebellis, impiæ in Creatorem!
Ipse en Creator, ipse vos Deus testor.
Ego benignus filios adoptaui,

)

Et

o. 48.